



UNIVERSITÄTS-  
BIBLIOTHEK  
PADERBORN

# **Universitätsbibliothek Paderborn**

**Parallelæ Geographiae Veteris Et Novae**

**Briet, Philippe**

**Parisiis, 1649**

§. 1. Historica descriptio.

**urn:nbn:de:hbz:466:1-13167**

## CAPVT VII.

Dacia Constantini, vel melius, Illyricum Orientale & Thracia.

## §. I. Historica descriptio.

**C**O GIMVR hæc omnia in Tabulam vnam ducere, quia in hac diuisione Dacia ægrè à Macedoniâ reuellitur; Mysia autem Thraciæ Diocecesi implicata est.

**DIOECESIS THRACIÆ** in sex prouincias diuisa fuit, quibus præfuit Vicarius sub Præfecto Prætorij Orientis, cuius & ipse gerebat vices. Hunnis eas regiones depopulatibus duo adhibiti sunt Vicarij, sed amoti quia suis dissensionibus omnia turbabant. Dicebatur hic Vicarius vir spectabilis. In Scythiâ quoque Dux fuit Scythici limitis cum equitibus quibus oram tuebatur, & aliquando Mœsia 2. cum equitibus 700. peditum 9000. defensa est: sed eæ copiæ videntur fuisse totius Dioceceseos. In eâ parte Mœsiæ vitium incisio grauius multabatur, ob crebriora maleficia.

Sub Præfecto Prætorij Illyrici duæ Dioceceses, duóque Vicarij Daciæ, & Macedoniæ, quorum insignia non recenset Notitia, quoniam hoc tempore à Barbaris ferè occupabatur, aut vastabantur. Item in vtraque Diocecesi includebatur Macedonia salutaris quæ Præsidem habebat suum, atque ita dicebatur ob aquarum salubritatem, vulgo autem accensetur Epiro Nouæ, & Præualitanæ. Cùm autem Præf. Præt. Illyrici antea Sirmij resideret, translatus est Iustinianam primam postquam Slauos Iustinianus domuit in Illyrico, ut eam urbem patriam suam instaurauit.

**DIOECESIS DACIÆ** Vicarium suum habuit, qui regiones illas 800. equitibus, & peditibus septies mille defendebat, & diu Vicariis caruit, Barbaris eam obtinentibus.

**DIOECESIS MACEDONIÆ**, quæ aliquando GRÆCIÆ dicitur à duobus magistratis regebatur, Proconfule & Vicario, hic Macedonia administrabat, ille Achaiam, sed ferè vni viro clarissimo duo illi magistratus committebantur.

Qo iij